



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIII. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopum Squillatinum. De
oppressione monachorum Castelliensis monasterii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

mus; quatenus cordis nostri gressus in veritatis suæ trā-
mitem dirigat, & vt ad cælestia regna perducatur, nominis
officium protectionis suæ gratia operibus nos exhibere
concedat.

Mense Augusto, indictione prima.

EPISTOLA XXXIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SQVILLATINVM.

De oppressione monachorum Castellienſis monasterii.

Gregorius Ioanni episcopo Squillatino.

GRAVE nimis & contra sacerdotale constat esse propo-
situm, velle cuiusquam monasterii priuilegia olim in-
dulta confundere, & ad irritum quæ sunt pro quiete dis-
posita niti deducere. Questi itaque nobis sunt monachi
Castellienſis monasterii, quod in fraternitatis vestræ ciui-
tate est constitutum; quia eidem monasterio quædam
contra ea quæ a prædecessoribus vestris promissa ac con-
suetudine longa seruata sunt festinetis superinducere, &
antiquam ordinationem quadam præiudicii nouitate tur-
bare. Proinde his fraternitatem vestram hortamur affati-
bus, vt, si ita est, ab eius molestia se sine aliqua excusatione
contineat, & quæ ei sunt diutius custodita, nullius occa-
sionis tentet vsurpatione conuellere: sed cuncta illibate, &
sine aliqua studeat reſragatione seruare, & plus sibi in eo-
dem monasterio, quam prædecessoribus suis licuit, noue-
rit non licere. Quia vero pariter questi sunt fraternitatem
tuam quædam de monasterio sub xenii quasi specie abſtu-
liſſe; neceſſe est vt si quid te indecenter recolis accepiſſe,
sine dilatione restituas, ne auaritiæ te grauiter culpa redar-
guat, quem largum erga monasteria sacerdotalis magis de-
buerat munificentia demonstrare. Seruatis itaque omni-
bus, quæ a tuis, sicut diximus, prædecessoribus promissa
sunt ac seruata, curæ tuæ sit circa actus ac vitam consiſten-
tium illic monachorum te vigilantem inſiſtere; & si quem-
piam illic prauè conuerſari, aut in aliquam immunditiæ,
quod abſit, culpam inueneris incidisse, districta ac regu-
lari emendatione corrigere. Nam sicut ab iis quæ incon-
grue vsurpantur fraternitatem vestram volumus abſtine-
re,

re, ita in his quæ ad disciplinæ rectitudinem vel animarum custodiam pertinent, esse sollicitam modis omnibus admonemus. Indicauerunt etiam prædicti monasterii monachi, castrum quod Squillitanum dicitur, in solo iuris monasterii eorum esse fundatum, atque ob hoc habitantes illic factis libellis solatium annis singulis spondisse persolvere, sed postea contempsisse, & ab eadem se præstatione superuacue suspendisse. Fraternitas ergo vestra subtiliter veritatem curet addiscere, & si ita repererit, instanter studeat ut ea quæ promiserunt, quia & ratio exigit, præbere non differant; quatenus & illi quiete quod tenent possideant, & monasterii iura præiudicium non incurrant. Præterea questi nobis sunt prædicti monasterii monachi, abbatem suum terram intra Squillitanum castrum, quæ in sexcentos pedes extenditur, sub prætextu fabricandæ ecclesiæ fraternitati tuæ donationis titulo concessisse; & ideo volumus, quantum parietes possunt ædificatæ ecclesiæ circumdare, iuri ecclesiæ vendicari: quidquid vero extra parietes eiusdem ecclesiæ esse potuerit, ad iura monasterii sine difficultate aliqua reuertatur; quia nec munda-
narum legum, nec sacrorum Canonum statuta permittunt res monasterii de iure eius quolibet titulo segregari. Eapropter donationem eiusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua dilatione restitue.

EPISTOLA XXXIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD LEONTIVM EXCONSVLEM.

De cælesti Ierusalem & Babylone.

Gregorius Leontio exconsuli.

QVIA in magna domo non solum sunt vasa aurea & ar- 2. Tim. 2.
gentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam; quis ignoret quod & in vniuersæ ecclesiæ sinu alii velut vasa contumeliæ rebus deputantur infimis, alii vero ut honoris vasa rebus aptantur mundis? Et tamen plerumque contingit, ut & ciues Babyloniæ in angaria seruiant Ierusalem, & ciues Ierusalem, id est, cælestis patriæ, in angaria de-

Concil. Tom. 13.

Iiii